

ibi progeniem Heleni filii Priami è servitute vindicasse, Pandrasum Regem debellasse, ejus filiam duxisse, cum reliquiis Trojanorum se mari commisisse, in Insulam Leogetiam delatum Dianæ oraculo admonitum ut hanc occidentem Insulam adiret; Inde per Herculis columnas ubi Sirenas evasit, & postea per Tyrrhenum mare, in Aquitaniam pervenisse, Golfarium Picum Aquitaniam Regem cum duodecim Galliam Principibus collatis signis profligasse, urbeque Turonum, Homero teste, constructa, & Gallia deprædata in hanc insulam à Gigantibus habitam transmisisse, quibus cum Gogmagog eorum vastissimo devictis, à suo nomine Britanniam nomen indidisse anno mundi 2855, ante Olympiadem primam 334, ante Christum natum 1108. hæc Galfredus. Alii tamen aliunde Britanniam nomen accersunt. Thomas Eliotta vir equestris dignitatis & singularis eruditionis à Græco fonte *πρωβριτανία* scilicet, qua dictione suos redditus publicos vocarunt Athenienses repetit. Humfredus Lhuyddus qui in antiquitatis cognitione familiam quodammodo inter nostros ducit, ad Britannicam dictionem PRIDCAIN, id est, *Forma candida*, confidentius refert. Pomponius Lætus Gallo-Britones ex Armorica nomen dedisse prodit: Goropius Becanus Danos hic sedes quævisisse & BRIDANIVM, id est *liberam Daniam*, denominasse contendit. Alii à PRVTENIA Germaniam regione. Bodinus à BRETTA Hispanorum dictione, quæ terram significaret, nominatam arbitratur: Forcatulus à BRITHIN, quo, ut est apud Athenæum, pro potu usi sunt Græci. Alii à BRVTIIS Italia, quos *Βρεβίτις* Græci dixerunt, deducunt. Facebant autem Grammaticastri qui à brutis moribus Britanniam dictam blaterant.

Hæ sunt omnes (quod sciam) quæ de Britanniam nomine invaluere opinationes. Sed ut in hac re exterorum commenta non possumus non risu excipere, ita nostratium non omnes comprobant. Et facilius sane est in hisce & hujusmodi falsa arguere, quam verum adstruere. Nam præterquam quod absurdum sit hujus nominis rationem ex aliena lingua petere; Lætum conspirans omnium meliorum historicorum consensus refellit, qui docent illos Galliam Britones hinc demigrasse & nomen secum detulisse. Britannia item hoc nomine multis seculis floruit, ante Daniam & Pruteniam nomina enata. Quid autem Britanniam cum Hispanorum *Bretta*? quod dubito an sit Hispanicum, & cur magis hæc insula sic dicatur, quam quævis alia terra? *Brithin* in usu nostris fuisse vix doceri possit, & genti nostræ à Græcorum potu nomen facere ridiculum. Brutios vero Italia, qui *Βρεβίτις* dicti erant à Lucanis, teste Strabone, quasi transfugæ, in Britanniam transfugisse nunquam probari poterit. Quod ad nostratium vero conjecturas attinet: Eliottæ *πρωβριτανία* haud probabile videtur, cum illud fuerit peculiare Atheniensium vocabulum, & Græci hanc insulam *Βρεβριτανία* non *πρωβριτανία* dixerint. Lhuidi *Prid-Cain* pro Britannia, tum altius repetita, tum duriuscule deducta videtur, ut taceam *Cain* illud ex Latinorum *Candido* in provinciam Britannorum linguam subrepsisse.

Illam autem de Bruto si vera, certa, & explorata

*Britannia.*

essent, non est cur quis ulterius studium & operam in Britannorum origine indaganda insumeret. Res confecta est & antiquitatis studiosi labore molesto & operoso liberantur. Quod ad me, historiolum illam ad quam (veritatem testor) suffulciendam omnes ingenii nervulos subinde intendi, convellere certe consilii non est mei. Illud enim esset *χρόνια μελεῖν*, & opinioni jam diu vulgo receptæ oblectari. Egone tantillus de re tanta cognoscere & statuere ausim? Rem integram ad Antiquitatis Senatam refero. Suum cuique liberum esto per me iudicium, quicquid existimarit lector haud equidem in magno ponam discrimine.

Video tamen (quod mihi veritatis indagatori præmonere liceat) homines summo iudicio & præstanti eruditione conari narrationis hujus fidem varie elevare, & in me quoties defendo, hujusmodi argumentis irruere. Primum ex tempore, Fabulosa esse clamitant quæcunque (sacra historica excepta) scribuntur facta fuisse ante Olympiadem primam, annum scilicet ante Christum natum DCC LXX uti hæc quæ de Bruto traduntur sunt trecentis & amplius annis priora. Idque ex Varronis Romanorum doctissimi autoritate qui uti tempus primum ab homine condito ad diluvium *Αδελόν*, id est, incertum propter ignorantiam, ita secundum à diluvio ad Olympiadem primam *Μυθικόν*, id est, fabulosum, nominavit, quia in eo pleraque fabulosa referuntur, etiam apud Græcos & Latinos gentes eruditas; multo magis apud barbaras, & literarum luce destitutas, quales tunc temporis in hoc tractu fuerunt singulæ. Deinde quod autoritas scriptorum idoneorum quæ ad rerum præteritarum scientiam instar omnium, ad hoc confirmandum omnino deficiat. Idoneos scriptores vocant, quorum ut vetustas & eruditio major, ita fides potior; quibus omnibus uti ipsis præcis Britannis Bruti nomen plane ignotum fuisse contendunt. *Cæsar*, inquit, ante annos mille sexcentos, ipso testante, nihil percontationibus reperit, quam interiorem Britanniam partem ab ipsis incolis quos *navos* in insula dixerunt, maritimas partes, ab iis qui ex Belgio transferunt. Tacitus ante annos mille quadringentos qui in hæc inquisivit, scripsit, *Qui mortales Britanniam initio coluerunt, indigenæ an advecti, ut inter barbaros parum competentum.* Gildas sapiens & ipse Britannus qui ante mille annos vixit de Bruto isto ne verbum quidem, dubitatque an veteres Britanni aliqua monumenta, vel scripta habuerint, quibus ipsorum originem & historiam ad posteros transmittent, cum profiteatur se scribere ex transmarina relatione, non ex scriptis patriæ, scriptorumve monumentis, quæ vel si qua fuerint, aut ignibus hostium exusta, aut civium exulum classe longius deportata non compareant. Ninius etiam Eluodugi discipulus ante octingentos annos Chronicon scripturus conqueritur quod Britanniam doctores nullam peritiam habuerunt, neque ullam commemorationem posuerunt, & fatetur quod ipse excerptis quæ scripsit ex Annalibus & ex Chronicis Sanctorum patrum. His etiam adjungunt Bedam: Guil. Malmesburiensem, & quotquot ante annum MCLX scripserunt, qui Bruti nomen ne fando audivisse videantur, adeo altum de eo in ipsorum scriptis silentium.

*Censorinus.*

*Tempus fabulosum.*

B

Hinc